



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio LIV. Argumentum. Fortissimis motivis demonstratur, parcendam esse inimicis: Ac jucundis, sed veris rationibus ostenditur, abstinendum esse à litibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

tract. dict. tom. 2. disput. 3. quæst. 3. punct. 7. & Salas de Usur. dub. 21. num. 2. ubi id esse licitum affirmat, etiam si nullum damnum emergens, aut lucrum cessans mutuator sentiat, ex auctoritate plurimorum DD. quos ibidem allegat; quibus ad stipulatur Cardinal. de Lugo de Justit. & Jur. disput. 22. num. 397. & disput. 25. num. 110. & Thom. Tamburin. de Triplici Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 5. ea ratione, quia mutuarius existens in mora peccat contra justitiam, & propter peccatum dignus est aliqua poena, quam etiam ipsi contrahentes possunt in exordio contractus statuere: Nihilominus hanc doctrinam arctant sub tribus necessariis conditionibus, videlicet quod mora mutuarii sit culpabilis, quod poena non sit excessiva, & quod non sit imposita in fraudem Usuræ. Rebellius, Bonacin. & Cardinal. de Lugo ubi supra; & novissime Maltrius in Theolog. Morali dict. disputat. 5. num. 57. At in casu proposito, Bernardus inficiari non potest, poenam sex ducatorum exigendam supra sortem singulis annis usque ad ejusdem sortis restitutionem, ab eo impositam fuisse in usuræ fraudem, & ad habendum lucrum hoc usurarium; licet enim varii sunt Doctores in indicandis signis, quibus cognoscatur animus usuræ committendæ in appositione poenæ; ita ut plures plura dixerint, (ut videre est apud supracitatos Theologos, nec non apud Lessium dict. lib. 2. capit. 20. numer. 129.) tamen Bonacina cæteris clarior dict. tom. 2. de contractibus disputat. 3. quæst. 3. punct. 7. num. 2. ex Salon. & Navar. notat, poenam censeri in fraudem usuræ appositam, quando adjectum fuit onus solvendi certam pecuniam summam singulis annis; prout Bernardus Mutuator stipulatus est in casu nostro; & per consequens judicari debet usurarius.

Hæc decisio non solum hac valida ratione firmatur, sed subsistere debet fortissimis argumentis per Curiam nostram adductis supra in Decis. XXXVIII. à num. 4. & seqq. ubi ex communi Canonistarum, & Jurisperitorum calculo probavimus, poenam conventionalem adjectam quantitati semper præsumi usurariam; cum nihil sit aliud, quam mutare nomen usuræ in nomen poenæ, & eam exigere ob mutuum palliatum, ut docent Genuens. in Practicabili. Eccles. cap. 686. Afflict. decis. 135. Rota part. 2. divers. decis. 90. num. 4. & Illustris. Episcopus Sperell. decis. 131. per totam, & præcipue num. 29. & 35. ubi plurimis rationibus, & doctoribus allegatis firmat, hujusmodi poenas conventionales adjectas quantitati usurarias censeri, etiam si dicantur appositæ ad taxandum interesse creditoris; quia id ab initio contractus fieri non potest; sed si mutuantis interest, sortem sibi in præfixo termino restitui, contra mutuarium agat via juris, cum protestatione consequendi quod sua interest; factis tamen probationibus, & sententia Judicis obtenta super prætenso interesse; ut latius dictum est in eadem Decis. XXXVIII.

Fuit etiam propositus sequens Casus: & Quæsitum an sit Usurarius? Nempè.

4 **P**etrus tradit rustico pecora centum æstimata, cum pacto, ut quandocumque illa restituerit, ad eandem æstimationem restituat; & interim earum fructus, ac lana equaliter dividantur. Quæritur, An intret Usuræ labes?

Concorditer dictum fuit, labem usurariam intrare, & contractum hunc illicitum esse per ea quæ à nobis dicta sunt supra in Decis. L. cæsi pacta de Juvencis essent diversa. Hunc autem casum in his præcis terminis usurarium appellat Rebell. lib. 15. quæst. 6. num. 4. Azor. part. 3. lib. 9. cap. 7. quæst. 6. Reginald. in Praxi lib. 25. num. 405. Bonacina de Contractib. dict. disputat. 5. quæst. 6. punct. 5. num. 6. Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 23. dub. 5. num. 11. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 20. num. 4. Tamburin. de Tripli. Jur. lib. 9. tract. 8. cap. 11. Leotard. de Usuris quæst. 31. num. 7. ubi alios cumulat.

Ratio est; quia, vel pecora dicuntur vendita rustico per Petrum, ob æstimationem, cujus hæc est virtus, l. Si pro mutua 8. C. Si cert. petatur, & non potest Petrus recipere lucrum absque usura, cum in sit mutuum palliatum in expectatione pretii, & valoris pecorum: Vel dicuntur data in Societatem; & tunc injustitia est, & usura; cum Petrus velit capita esse salva, & nolit subire periculum mortis, seu casuum fortuitorum illius gregis, & interim habere medietatem omnium fructuum.

Neque prodesset Petro, si assereret, licite contraxisse ob implicitum contractum Assurationis; quem fieri posse ex Navarro, & aliis dictum est supra in Decis. XXX. & videtur concedere Cardinal. de Lugo de Justit. & Jur. disput. 30. num. 49. Quia ex magis approbata DD. sententia per Bullam Sixti Quinti; (quæ incipit Detestabilis &c.) relata in Decis. XLIX. num. 3. reprobatus censetur contractus societatis cum assuratione capitalis, & certi lucri cum socio, ut ex Philiar. Binsfeld. & Maldero notat Leotardus dict. quæst. 31. numer. decimo secundo. Sed stando etiam in doctrina, & opinione Cardin. Lugo, constat de injustitia, & usura ob medietatem omnium fructuum à Petro sibi reservatam; cum enim rusticus expensas victus, custodiam gregis, & labores in fructibus colligendis præstare debeat; majori lucro, & ampliori parte eorundem fructuum dignus reputatur, ut capitale tantis periculis subiectum securum servet, ut latè diximus in cit. Decis. L. & ibi Eminent. Cardinal. de Luca.

## DECISIO LIV.

### ARGUMENTUM.

Fortissimis motivis demonstratur, parcendum esse inimicis: Ac jucundis sed veris rationibus ostenditur, abstinendum esse à litibus.

### SUMMARIUM.

1. Inimicitia extinguenda, ac sedanda ob decem rationes.
2. Cani assimilatus vindicativus.
3. Servus non à se, sed à Domino vindicandus.
4. Peccata dimittuntur ignoscensibus injurias.
5. Exempla Sanctorum pro inimicis orantium.
6. Inimicis ignoscere difficultas ex duobus. Horum resolutio.
7. Natura operatur contra seipsam, ut Deo obediat Auctori suo. Exempla diversa de hoc.
8. Mundus vili pendit non se vindicantes. Confutatio hujus dicti.
9. Gloriosum est parcere inimicis.
10. Dilemma contra vindicativos.

11. Lites civiles privant hominem bono utili, honesto, ac delectabili.
12. Lites ignis devorans substantiam litigantis.
13. Lites civiles terminant in criminales.
14. Tortura animorum sunt lites.
15. Pii Papa II. dictum notabile contra litigantes.
16. Advocati non litigant. Medici non sumunt pharmaca.
17. Litigare an sit delectabile?
18. Seneca dictum, ne litigetur.

Quibus rationibus possint Parochi eliminare inimicitias de suis Parochiis, & pacem ponere inter proximos rixas, seu lites ad invicem habentes?

Distinxerunt odia à litibus, & lites ab odiis; seu lites criminales à litibus civilibus, & è contra.

Quoad odia, & lites criminales; ut per Parochos eliminari possint de suis Parochiis, & pax fieri inter Parochianos inimicitias adinvicem habentes, plurimæ relatæ sunt rationes, quas in duas classes juvat subdividere; eò quia prima classis continet rationes optimas, sed faciles: secunda classis solvit objecta perdifficilima.

1. Primæ classis rationes sunt, parcendum esse inimicis, odia extinguenda, pacem firmandam:

1. Quia rixantes brevi vita fruuntur. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Psalm. 54. 24.

2. Quia ira, & vindicta non conveniunt homini ratione prædito, Unde cum dixisset Apostolus, Sol non occidat super iracundiam vestram. Eph. 4. 26. S. Th. ibid. lect. 8. sic interpretatur; Sol non occidat, idest non obtenebretur dictamen rationis.

2. Hinc Aristoteles assimilat vindictivum cani, absque consilio quoscunque accedentes ad ostium mordere volenti; à quibus sæpè sæpius repercutitur baculo. Ethic. lib. 7. cap. 6.

3. Quia ex discordiis, & vindictis innumerabilia mala procedunt, expensæ, timores, insidiae, privatio libertatis, consumptio facultatum, & pericula inevitabilia, quò circa Salomon. Prov. 16. 19. ait, Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis.

4. Quia remittendo injurias, & amplectendo pacem; cultus, & obsequium præstatur Deo, cui tanquam Patri convenit, punire filios male agentes. Mea est ultio, ipse testatur est, & ego retribuam in tempore. Deut. 32. 35.

3. 5. Imò ad ipsum Deum tanquam Regem, ac supremum Dominum spectat punire offensores nostros; quia injuria in percussione, vel offensione servi habentis vestem Domini sui, non fit servo, sed Domino; & nos omnes servi sumus Dei, vestiti veste sua. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Galat. 3. 27.

6. Quia decet filios Patrem suum imitari: & Deus Pater noster misericors Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Matth. 5. 45.

4. 7. Quia pacem facientibus, & injurias condonantibus promissa est remissio peccatorum. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Matth. 6. 14.

8. Et econtra nutrientibus odia, & pacem recusantibus imminet exterminium corporis, & animæ. Et dispereat de terra memoria ejus, pro eo, quod non est recordatus facere misericordiam. Cum ju-

dicatur exeat condemnatus. Psalm. 108. 7. & 15. Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Jac. 2. 13.

9. His addenda sunt exempla Sanctorum, qui charitate prosequuti hostes suos, eos amaverunt, benefecerunt, & pro eis orarunt; inter quos Protomartyr, qui Postitis genibus clamavit voce magna dicens, Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7. 60. Imò Martyrum, ac Sanctorum omnium Rex, & Redemptor Noster Christus JESUS, qui Judæ pedes lavit, & pro crucifixoribus Patrem exoravit dicens: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Lucæ 23. 34.

10. Tandem aliæ rationes inquirendæ, & allegandæ per Parochos reperientur tum apud SS. Patres, tum apud Cathedris Roman. part. 3. de Quinto Prac. Sess. 20. usque in finem; tum etiam apud Tuillium super Embl. 79. Alciati ex Pace ubertas; & Fabium Alberгатum in libro De modo reducendi ad pacem inimicitias privatas.

Secundæ classis rationes sunt, quæ versantur in resolvendis duobus objectis difficillimis, quorum prætextu inimicitia sunt inextinguibiles. Primum objectum, est. Asperum nimis, ac durum esse natura humana parcere, ac benefacere inimicis. Alterum ignominiosum, ac contemptu dignum absque vindicta injurias condonare. Sanè hæc duo objecta remorantur pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Porro concedendum, grave videri humanitati nostræ non vindicari, ac malefactoribus bona retribuere; sed hac invincibili ratione evacuandum objectum est; scilicet, extare Præceptum Divinum; & Redemptorem nostrum Christum JESUM, Regem Regum, & Dominum dominantium (cui data est omnis potestas in cælo, & in terra) illum esse, qui præcipiendo nobis dixit: Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Matth. 5. 44. Ad præceptum Domini etiam inanimata, & irrationabilia operantur contra naturam suam; ut de igne non comburent tres pueros in fornace; de aqua non oppriment hebræos in transitu maris rubri, & sustinente Petrum Apostolorum Principem ambulante super mare; de ventis cessantibus, & de mare tranquillitatem (quamvis procelloso) extemplam proficente; de aquila corpus S. Stanislai membratim concisum, & per agros projectum à feris defendente; de nive pendula super S. Petro de Alcantara, & aliis innumeris mirabilibus, quæ præ oculis habentur in vitis Sanctorum, & collecta leguntur à Patre Aloysio Novatino in libro Mirab. Orb. Christi manifestè patet.

Ex his enim omnibus non minùs, quam in creatione mundi conspicitur obedientia plena præcepto Domini; siquidem statim ac Ipse dixit; & facta sunt. Psalm. 148. & sine cunctatione Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus. ibid. Igitur ita convincendi, qui naturam repugnare astruunt in dimittendis offensis, Quæcunque creata sunt, ut Deo obediant, contra naturam operantur: solus homo naturam suam repugnantem, ut Dei sui præcepto pareat, non evincet? Homo domat leonem, ut aiebat S. Augustinus: Deus non domabit hominem, quem fecit? Me ergo non timebitis, dicit Dominus? Jer. 5. 22.

Alterum objectum per quod rixantes assunt ignominiam, & dedecus esse apud mundum,

8 dum, vindictam non facere, diluendum est hoc pacto. Videlicet: Appellatione mundi quinquam intelligendi? Non Pontifices, non Reges, aut Principes: quia hi omnes Legibus suis insurgunt contra vindictas privatas facientes, eosque gravissimis poenis, etiam capitalibus castigant. Non Sacerdotes, aut Religiosi: hi etenim, & orationibus, & concionibus mites & mansuetos commendant. Non nobiles pietate, ac virtute pollentes: nam & hi rixas, & inimicitias detestantur. Non plebeji, artifices, aut mendici: quia hi victum quaritant, & de quaestionibus non cogitant. Igitur mundus ille, cuius respectu ignominia, & dedecus timetur, ad paucos ignaros, vitiososve homines restringitur, quos audire, vel eorum opinionem sequi minimè decet, imò dedecet, & pudet. Idcirco suadendi sunt à Parocho quicunque offensionem receperunt, ut generoso animo offensoribus parcant; siquidem gloriosa res est parcere inimicis tum apud mundum, dicente Seneca: Magni animi est injurias despiciere, lib. 3. de ira cap. 15, tum apud Deum, & fideles; testante Spiritu Sancto Prov. 20. 3. Honor est homini, qui separat se à contentionibus. Neque attendenda est opinio malorum christianorum, qui indigni sunt hoc venerabili nomine, cum Aliter doceant, & non acquiescant sanis sermonibus Domini nostri JESU CHRISTI, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrina, 1. Tim. 6. 3. quæ Apostolica verba piæ, ac doctæ explicat laudatus P. Paulus Segnerius Soc. Jesu in Manna anima part. 2. die 17. Junii, à Parochis sæpè legendus.

Tandem, corollarii loco, emollienda sunt corda dura, & obstinata in inimicitias dilemmate isto. Parcendo contrahitur contemptus apud malos homines; non parcendo apud Deum: Sed incomparabiliter magis expedit à Deo non contemni; quàm à malis hominibus. Ergo omnino parcendum; & promptè Divino mandato obtemperandum: cum Christus Dominus sit, qui præcipiat. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.

Quo verò ad sedanda jurgia ob lites civiles, multa scripta sunt remedia, quæ brevitatis, & facilitatis causa ad tria genera rediguntur; quatenus ad debellandas, & profigandas lites, rationum ratio summa est, quòd lites exspoliant homines tribus illis bonis, in quibus continentur omnia bona vitæ humanæ, nimirum Utili, Honesto & Delectabili.

Bonum Utile perdit, qui implicatus est litibus, nam jurgia, & lites patrimonialia miserè lacerant, & incendium sunt, quo bona cuncta flagrant; pro cuius extinctione quotidie orans Sancta Mater Ecclesia dicit: Extingue flammam litium. Ne litis horror insonet. Fructus enim litium sunt expensæ, cap. Finem litibus, 5. de Dolo, & Contum. l. Si procurator, 18. ff. Rem ratam hab. Divitiæ infumuntur, familiæ desertantur, & domestici incidunt in magnas calamitates. §. Ex quo nos. Auth. Ut diff. Jud. coll. 6. Econtra magnum commodum consequitur, qui à lite discedit, l. Lucius, §. fin. ff. Ad Sc. Trebell. & omnia jura laudant transactiones, l. Frater, 10. C. de Transact. & cap. Sicut grave. Extr. eod. ea ratione, quia transactio est pax, & ita nominatur, nam transitus fit de actione ad concordiam. Bald. in l. 2. num. 3. ff. de Jur. jur. Et summis laudibus in jure commendatur, qui execratur lites, l. Item, §. fin. ff. de Alien. Doct. Clericari Tom. II. Lib. IX.

jud. capit. 2. §. Statutum, de Verb. Signific. in 6.

Bonum Honestum amittit litigator, quia ex litibus procedunt scandala, odia, & homicidia; juxta illud Poëtæ Mantuani: In rixas, in bella, etiam litesque cruentas. A pessimis ventis execrandarum litium quatiuntur animi magnis motibus, ac procellis; & in variorum scelerum præcipitia impelluntur, unde Eccl. 28. monet: Abstine te à lite, & minues peccata. Vix enim absque peccato litigia exerceri possunt, S. Thom. 2. 2. quæst. 116. art. 2. Undè Rebuff. in Proëm. Concordator. Verb. Sumptibus ante finem ait, multos propter lites ad inferos descendere: & cum vita temporali. & spiritali periclitatur etiam civilis, nam homines in litibus distenti, publicis muneribus vacare nequeunt, teste M. Tullio 1. offic. in tit. de Just.

Bonum Delectabile absorbent lites: litigantes enim in hoc mundo multa quidem, & acerba patiuntur, manentes diu, noctuque in continua animi tortura. Gloss. in §. Judicent. in Verb. Contritione. Auth. De Judic. Et propterea, ut frui possint homines felicitate, qua donamur à Deo in hoc exilio, lites abhorreant, ut juxta carmen Martialis lib. 2. Epigram. 60.

Sit nox cum somno; sit sine lite dies.

Et Ovid. lib. 2. de Arte amandi:

Esse procul lites, & amara praelia lingua.

Dulcibus est verbis mollis amandus amor.

Quapropter cavendum magnoperè à consiliis eorum, quorum interest, lites perpetuas fieri, nam ut Pius Secundus Sum. Pontif. (teste Platina) dicebat, litigatores sunt aves, forum area, judicium rete, aucupes Patroni. Imò discendum ab Advocatis ipsis, qui rarò litigant, adinstar pistorum, panem mittunt in furnum, sed non seipso; ut eleganter cecinit Gato minor lib. 2.

Jurisconsultus rarò cur litigat? aut cur

Qui mihi multa dedit, pharmaca nulla bibit?

Nec dicat aliquis, magnam esse delectationem vincere post diurnam litem. Quia respondetur primò, qui litigant, judicio fortunæ se committere. l. Servus 13. ff. de Stat. hom. Bar. 17. tol. in l. Si per imprudentiam, ff. de Eviction. Et sæpè sæpius adversam reportat sententiam, qui eam sibi promittebat favorabilem. Sed estò, quod victoria habeatur, difficilior solet esse rei judicatz executio. l. Quod debetur, ff. de Pecul.

Quare Viri prudentis semper erit è litibus egredi; & quòd melius potuerit, controversiam componere. Dist. 90. per totam, dicebat enim Seneca, (teste Bald. in cons. 218. lib. 3.) quòd cum pari contendere anceps est, cum Superiore furiosum, cum inferiore sordidum. Sed sanctius, & super quælibet dicta hominum præclariùs docuit nos Salvator Noster Matth. 5. Si quis voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; ut jurgia scilicet, & lites ob res temporales evitentur, undè subdit Apostolus 1. Tit. 2. Oportet servum Dei humilem esse, & non litigare.

## D E C I S I O LV.

## A R G U M E N T U M.

Comprobat hæc decisio, Usuram in re levi non esse peccatum mortale.

## S U M M A R I U M.

1. Veniale peccatum est levis violatio justitiæ.
2. Argumentum de furto ad usuram.
3. Usura in re parva an sit mortale?
4. Simonia etiam in re levi est culpa gravis.

M

Bre.